



Universitätsbibliothek Paderborn

Venerabilis Patris Thomæ à Jesu ... Opera Omnia

Homini Religioso Et Apostolico Tam Qvo Ad Vitæ Activæ, Qvam
Contemplativæ functiones utilissima, Duobus Tomis Comprehensa. In
Qvibvs Singlari Pietate, Varia Ervditione Clariori Et Breviori Stylo
Continentvr Et Explicantvr ...

Tomás <de Jesus>

Coloniæ Agrippinæ, 1684

Articvlvs V. Vtrum anima Pauli in statu illo fuerit totaliter à corpore
separata.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38621

ARTICVLVS IV.

Utrum Paulus in raptu fuerit alienatus à sensibus.

RESPONDEO dicendum, quodd divina essentia non potest ab homine videri per aliam vim cognoscitivam, quam per intellectum. Intellectus autem humanus non convertitur ad intelligibilia, nisi mediante phantasmatibus, quae per species intelligibiles à sensibus accipit, & in quibus considerans de sensibilibus iudicat, & ea disponit. Et ideo in omni operatione, qua intellectus noster abstrahitur à phantasmatibus, necesse est quodd abstrahatur à sensibus. Intellectus autem hominis in statu viae necesse est, quodd à phantasmatibus abstrahatur, si videat DEI essentiam. Non enim per aliquod phantasma potest DEI essentia videri, quinimo nec per aliquam speciem intelligibilem creatam, quia essentia Dei in infinitum excedit non solum omnia corpora, quorum sunt phantasmata, sed etiam omnem intelligibilem creaturam. Oportet autem cum intellectus hominis elevatur ad altissimam DEI essentiam visionem, ut tota mentis intentio illuc advocetur, ita scilicet, quodd nihil intelligat aliud ex phantasmatibus, sed totaliter feratur in DEVM. Vnde impossibile est, quodd homo in statu viae videat DEVM per essentiam, sine abstractione à sensibus.

EXPOSITIO ARTICVLI IV.

Prima Conclusio. Intellectus hominis in statu viae videns DEVM necesse est, quodd abstrahatur à sensibus. Quod ratione probatur: quia in omni operatione, in qua intellectus noster abstrahitur à phantasmatibus, necessarium etiam abstrahitur à sensibus; sed intellectus videns DEVM, necessarium abstrahitur à phantasmatibus, non enim per aliquod phantasma potest DEI essentia videri; quinimo neque per aliquem intelligibilem speciem creatam, quia Essentia DEI in infinitum excedit, non solum omnia corpora, quorum sunt phantasmata, sed etiam omnem intelligibilem creaturam.

Quod etiam ulterius probatur; quia cum in-

tellectus hominis elevatur ad altissimam DEI visionem, necesse est, ut tota mentis intentio illuc advocetur, ergo necesse est, quodd nihil intelligat aliud ex phantasmatibus, sed totaliter feratur in DEVM. Unde impossibile est, quodd homo in statu viae DEVM videat per essentiam sine abstractione à sensibus.

Secunda conclusio ex Resp. ad 3. Paulus postquam cessavit videre DEI essentiam, memor fuit illorum, quae in illa visione cognoverat per aliquas species intelligibiles habituales ex hac visione in ejus intellectu relictas, unde nec totam illam cognitionem aut cogitare poterat, aut verbis exprimere.

ARTICVLVS V.

Utrum anima Pauli in statu illo fuerit totaliter à corpore separata.

RESPONDEO dicendum, quodd sicut supra dictum est, in raptu, de quo nunc loquimur, virtute divina elevatur homo ab eo quodd est secundum naturam, in id, quodd est supra naturam. Et ideo duo considerare oportet. Primum quidem, quid sit homini secundum naturam. Secundum, quid divina virtute sit in homine secundum supra naturam. Ex hoc autem quodd anima corpori unitur tanquam naturalis forma ipsius, convenit anime naturalis habitudo ad hoc, quodd per conversionem ad phantasmata intelligat. Quod quidem ab ea non aufertur divina virtute in raptu, quia non mutatur status ejus, ut dictum est. Manente autem hoc statu, aufertur ab anima actualis conversio ad phantasmata & sensibilia, ne impediatur ejus elevatio in id quodd excedit omnia phantasmata, ut dictum est: & ideo in raptu non fuit necessarium, quodd anima sic separaretur à corpore, ut ei non uniretur quasi forma. Fuit autem necessarium intellectum ejus abstrahi à phantasmatibus & sensibilibus perceptione.

EXPOSITIO ARTICVLI V.

Prima Assertio. In raptu non fuit necessarium quodd anima Pauli separaretur ab ejus corpore, ita ut ei non uniretur quasi forma, fuit autem necessarium intellectum ejus abstrahi à phantasmatibus, & à sensibilibus perceptione.

Secunda assertio. Non fuit necessarium in raptu Pauli, quodd ejus anima abstraheretur à viribus animae vegetabilis, ita ut ex intentione animae ces-

sarent operationes animae vegetativae, sicut cessant vires sensitivae, cum illa operentur per modum naturae; unde non requiritur ad raptum abstractio à viribus animae vegetabiles, sicut requiritur à potentiis sensitivis, per quarum operationes minueretur intentio animae circa intellectivam cognitionem.

obser-

Observationes circa litteram huius Articuli.

Circa secundam Conclusionem adverte ex D. Thom. *quest. 13. de veritat. rationem*, quare in raptu non requiratur abstractio ab operationibus animæ vegetabilis, quia operationes huius partis animæ sunt quasi naturales, quod patet ex hoc, quod complentur virtute qualitatum activarum & passivarum, scilicet calidi & frigidi, humidi & siccit, unde nec rationi sive voluntati obediunt, & sic patet, quod ad huiusmodi actiones non requiritur intentio, & ita per earum actus non oportet intentionem averti ab operativa. Similiter nec operatio intellectiva aliquo modo huiusmodi operationibus admiscetur, cumque neque ab eis accipiat, propter hoc quod non sunt cognoscitivæ, neque instrumentum aliquo corporeo utatur intellectus, nihil præjudicatur per operationes animæ vegetabilis.

Unde quoque patet, quod per se loquendo operatio animæ vegetabilis & operatio animæ intellectivæ non se impediunt; per accidens tamen potest ex altera alteri impedimentum provenire, in quantum scilicet intellectus accipit a phant-

matibus, quæ sunt in organis corporalibus, quæ oportet per actum vegetabilis animæ nutrir, & conservari, & sic per actus nutritivæ potentie eorum dispositio variatur, & per consequens operatio potentie sensitivæ a qua intellectus accipit, & ita per accidens ipsius intellectus operatio impeditur, sicut patet in somno, & post cibum. Et de converso per hunc modum operatio intellectus impedit operationem animæ vegetabilis, in quantum ad operationem intellectus requiritur operatio imaginativæ virtutis, ad cuius vehementiam oportet calorem & spirituum concursum fieri, & sic impeditur actus virtutis nutritivæ, per vehementiam contemplationis.

Sed hoc non habet locum in illa contemplatione, qua DEI essentia videatur, cum talis contemplatio imaginationis operatione non egeat, & sic patet, quod ad videndum DEUM per Essentiam nullo modo requiritur abstractio ab actibus animæ vegetabilis, sed solum ab actibus sensuvarum potentiarum.

ARTICVLVS VI.

An Paulus ignoraverit an anima eius à corpore fuerit separata.

RESPONDEO dicendum, quod huiusmodi questionis veritatem accipere oportet ex ipsis Apostoli verbis, quibus dicit se aliquid scire, scilicet se raptum esse usque ad tertium cælum, & aliquid nescire, scilicet utrum in corpore aut extra corpus. Quod quidem potest intelligi dupliciter. Vno modo, ut hoc quod dicitur, sive in corpore, sive extra corpus, non referatur ad ipsum esse hominis rapti, quasi ignoraverit an anima eius esset in corpore an non, sed ad modum raptus, ut scilicet ignoraverit an corpus eius fuerit simul raptum cum anima in tertium cælum vel non, sed solum anima, sicut Ezech. 8. dicitur, quod adducuntur in visionibus DEI in Hierusalem. Et hanc intellectum fuisse cuiusdam Iudei exprimit Hieronymus in prologo * super Daniele, ubi dicit. Denique & Apostolum nostrum (scilicet dicebat Iudeus) non fuisse ausum affirmare se corpore raptum, sed dixisse, sive in corpore, sive extra corpus, nescio. Sed hunc sensum reprobat Augustinus 12. * 1. per Genes. ad litteram, per hoc quod Apostolus dicit scivisse se esse raptum usque in tertium cælum. Sciebat ergo verum esse tertium cælum. id in quod raptus fuit, & non similitudinem imaginariam tertiæ cæli. Alioquin si tertium cælum nominavit phantasia tertiæ cæli, pariter ratione dicere potuit se in corpore raptum, nominans corpus, proprii corporis phantasia, quale apparet in somnis. Si autem sciebat esse verè tertium cælum, sciebat ergo aut esse aliquid spirituale, & incorporeum, & sic non potuerat corpus eius illuc rapti, aut esse aliquid corporeum, & sic anima non posset illuc sine corpore rapti, nisi separaretur à corpore. Et ideo oportet secundum alium sensum intelligere, ut scilicet Apostolus sciverit, quod fuerit raptus secundum animam, & non secundum corpus, nesciverit tamen qualiter se haberet anima ad corpus, utrum scilicet fuerit sine corpore, vel non. Sed circa hoc diversimode alii loquuntur. Quidam enim dicunt, quod Apostolus scivit, quod anima sua erat corpori unita, ut forma, sed nescivit utrum esset passus alienationem à sensibus, vel etiam utrum esset facta abstractio ab operibus animæ vegetabilis. Sed quod fuerit facta abstractio à sensibus, hoc non potuit ignorare, ex quo scivit se raptum. Quod autem fuerit facta abstractio ab operibus animæ vegetabilis, non erat tantum aliquid, ut de hoc oporteret tam sollicitam fieri mentionem. Unde relinquitur, quod nescivit Apostolus, utrum anima eius fuerit conjuncta corpori, ut forma, vel à corpore separata per mortem. Quidam autem hoc concedentes dicunt, quod Apostolus tunc non perpendit quando rapiebatur, quia tota eius intentio conversa erat in DEUM, sed postmodum percepit, considerans ea quæ viderat. Sed hoc etiam contrariatur verbis Apostoli, qui distinguit in verbis sui præteritum à futuro. Dicit enim in presenti se scire, quod fuit raptus ante annos quatuordecim, & se in presenti nescire utrum in corpore fuerit vel extra corpus. Et ideo dicendum est, quod & prius & postea nescivit, utrum eius anima fuerit à corpore separata. Unde Augustinus * dicit 12. * 1. per Genes. ad litteram, post longam inquisitionem concludens: Respondeo, utrumque, ut hoc ipsum eum ignorasse intelligamus (utrum quando in tertium cælum raptus est, in corpore fuerit anima, quomodo est anima in corpore, cum corpus vivere dicitur, sive vigilantis, sive dormientis, sive in essentia à sensibus corporis alienati) an omnino de corpore exierit, ut mortuum corpus iaceret.

ad medio illius. Incipit: Daniele Prophe. tam. 4. * lib. 12. c. 2. 1. 4. & 2. 10. 2.

Lib. 12. cap. 2. tom. 3.